homine. Multis enim temporibus arripiebat illum. et
vinciebatur catenis. et compedibus custoditus. et ruptis
vinculis agebatur a demonio in deserta. Interrogabat
autem illum Ihesus dicens. Quod tibi nomen est? At ille dixit.
Legio. Quia intraverant multa demonia in eum. Et
rogabant eum ne imperaret illis ut in abyssum irent.
Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in
monte. et rogabant eum ut permitteret eos ingredi in il-
los. et permisit illis. Exierunt ergo demonia ab homine et
intraverunt in porcos. et impetu abiit grex per
preceps in stagnum. et suffocatus est. Quod ut viderunt
pastores qui pascebant. fugerunt. et nuntiaverunt in ci-
vitatem et in villas. Exierunt autem videre quod factum est.
et venerunt ad Ihesum. et invenerunt hominem sedentem a quo
demonia exierant. vestitum ac sana mente ad pedes
eius. et timuerunt. Nuntiaverunt autem illis et qui viderant
quomodo sanus factus esset a legione. et rogaverunt illum
omnis multitudo regionis gerasenorum. ut discederet
ab ipsis. quia timore magno tenebantur. Ipse autem
ascendens navim reversus est. et rogabat eum vir
a quo demonia exierant. ut cum eo esset. Dimisit autem
eum Ihesus dicens. Redi domum tuam. et narra quanta fe-
cit tibi deus. Et abiit per universam civitatem predicans
quanta illi fecisset Ihesus. Factum est autem cum rediisset Ihesus
excepit illum turba. Erant autem omnes expectantes
eum. Ecce venit vir cui nomen Iayrus. et ipse prin-
ceps synagoge erat. Et cecidit ad pedes Ihesu ro-
gans eum ut intraret in domum eius. quia filia uni-
ca erat illi annorum fere duodecim. et hec morieba-
tur. Et contigit dum iret a turba comprimebatur. et mu-
lier quedam erat in fluxu sanguinis ab annis
xii. que in medicos erogaverat omnem substantiam
suam nec ab ullo potuit curari. Accessit retro
et tetigit fimbriam vestimenti eius. et confestim stetit
fluxus sanguinis eius. Et ait Ihesus. Quis est qui me
tetigit? Negantibus autem omnibus dixit Petrus. et qui cum
illo erant. Preceptor turbe te comprimunt et affligu-
nt. et dicis quis me tetigit? Et dixit Ihesus. Tetigit
me aliquis. Nam et ego novi virtutem exisse de
me. Videns autem mulier quia non latuit. tremens
venit. et procidit ante pedes eius. et ob quam causam te-
tigerit eum indicavit coram omni populo. et quem-
admodum confestim sanata sit. At ipse dixit ei. Filia
fides tua te salvam fecit. vade in pace. Adhuc
illo loquente. venit quidam ad principem synagoge
dicens ei. quia mortua est filia tua. noli vexare il-
lum. Ihesus autem audito hoc verbo. respondit patri
puelle. Noli timere. Crede tantum. et salva erit.
Et cum venisset ad domum non permisit intrare se-
cum quemquam nisi Petrum et Iohannem et Iacobum et

patrem et matrem puelle. Flebant autem omnes. et plange-
bant illam. At ille dixit. Nolite flere. non est enim mor-
tua puella. sed dormit. Et deridebant eum. scientes
quia mortua esset. Ipse autem tenens manum eius clamavit
dicens. Puella surge. Et reversus est spiritus eius. et surre-
xit continuo. Et iussit illi dari manducare. et stu-
puerunt parentes eius. quibus precepit ne alicui di-
cerent quod factum erat. IX
Convocatis autem xii. apostolis. dedit illis potesta-
tem et virtutem super omnia demonia. et ut languores cura-
rent. et misit illos predicare regnum dei. et sanare in-
firmos. et ait ad illos. Nichil tuleritis in via. neque
virgam. neque peram. neque panem. neque pecuniam. neque du-
as tunicas habeatis. Et in quamcumque domum intra-
veritis. ibi manete. et inde ne exeatis. et quicumque
non receperint vos exeuntes de civitate illa. et
pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium
super illos. Egressi autem circuibant per castella evan-
gelizantes et curantes ubique. Audivit autem Hero-
des tetrarcha omnia que fiebant ab eo. et hesitabat.
eo quod diceretur a quibusdam. quia Iohannes surrexit a mortuis.
a quibusdam vero quia Helias apparuit. ab aliis autem quia
propheta de antiquis unus surrexit. et ait Herodes. Iohannem
ego decollavi. Quis autem est iste de quo audio
talia. et querebat videre eum. Et reversi apostoli narra-
verunt quecumque fecerunt. Et assumptis illis secessit
seorsum in locum desertum qui est Bethsaide. Quod cum
cognovissent turbe. secute sunt illum. et recepit illos.
et loquebatur illis de regno dei. et eos qui cura indi-
gebant sanabat. Dies autem ceperat declinare. et acce-
dentes xii. dixerunt illi. Dimitte turbas ut eun-
tes in castella villasque que circa sunt. divertant
et inveniant escas. quia hic in loco deserto sumus.
Ait autem ad illos. Vos date illis manducare. At illi
dixerunt. Non sunt nobis plus quam quinque panes et duo
pisces. nisi forte nos eamus et emamus in omnem hanc
turbam escas. Erant autem fere viri quinque milia. Ait
autem ad discipulos suos. Facite illos discumbere
per convivia quinquagenos. et ita fecerunt. et discumbere III
fecerunt omnes. Acceptis autem quinque panibus et duobus
piscibus. respexit in celum. et benedixit illos et fregit.
et distribuit discipulis suis. ut ponerent ante tur-
bas. et manducaverunt et saturati sunt. et sublatum est
quod superfuit illis fragmentorum cophini xii. Et factum
est cum solus esset orans. erant cum illo et disci-
puli. et interrogavit illos dicens. Quem me dicunt
esse turbe? At illi responderunt et dixerunt. Alii Iohan-
nem baptistam. alii autem Heliam. alii quia propheta unus
de prioribus surrexit. Dixit autem. Vos autem quem me esse
dicitis? Respondens Simon Petrus dixit. Christum dei.

STADT BIBLIOTHEK CHEMNITZ http://digital.slub-dresden.de/ppn341421227/640